

sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum, ait Psalmista, & sequitur: Et Videas filios filiorum, qui sunt homines novi mundi indigena, qui Fide, & virtutibus eos, quorum sunt ministerio, ad Fidem conversi, forte superorari sunt. Et quoniam eos penitus & literas non didicisse prædixerim, palinodiam cano: pingebant enim, non scribebant, id est, non literis, sed imaginibus utebantur, si quid absentibus seu tempore, seu loco memorabile vellet significare. Quod & Lucanus insinuat in hæc verba.

*Phœnicæ primi, fama si creditur auri,
Mansuam rudibus vocem signare figuris,
Nondum fluminas Memphis contaxare Biblos
Noverat, & saxis tantum volucresque seraque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.*

Nunc verò tanta est ingenii eorum felicitas (de pueris loquor) ut & Latine, & Hispanè scribant, nostris pueris elegantius: Latine sciunt, atque loquantur non minus quam nostri, qui se ejus rei studio didicere: Confessiones & ab eis fiunt, quæ vel maxime novellis in Ecclesia difficultatem afferunt, & arduitatem præseferunt, ubi fides præcipuum locum tenet, cum secreta cordis extrinsecus revelentur, ac alteri pandantur lapsus humani, & peccata non minori perspicuitate ac veritate, quam à Christianis natis (ne dicam propensiori) earumque frequentia gaudent, imò aliqua vel minus nucleata, vel à confessoribus forsitan non intellecta, quæ semel confessi sunt, examissimè repetere spontaneè non verentur columbina sanè simplicitate: ita ut quoad confessiones apud illos totus annus habetur, ut Quadragesima inter nostros, disciplinas ordinarias, & à pueris, idest, flagella, non modo tenentes, sed & ultrò suscipientes, clam tempore & loco, ultra communes, quæ fiunt in die Veneris sancti, & omnibus sextis feriis anni, Quodque adhuc difficiliter existimatur à nostris (qui nec in abiciendis quidem concubinis dicto pareant prælatorum) tantâ facilitate uxorum pluralitatem abiciant, quas in paganismò habuerunt, unæque contenti, ut miraculi instar sit. Furta, quorum consuetudo (de parvulis loquor) genti innata est, apertissimè pro confessione accusant. Non restitutionem recusant, aut procrastinant. Construunt Ecclesias magnas, quas armis Regis adornant, conventus Fratrum protectorum suorum, & domos devotarum mulierum ab Imperatrice Domina Elisabeth missarum, quibus bono animo dant suas filias, sicut Fratribus filios, ut ex ipsis quantocius sancta Ecclesia augeatur. Cum indigent aqua, ad Fratres cum oblationibus veniunt, processiones petunt. Idem similiter faciunt pro pueris infirmis, penitentes Evangelium sibi dici, & manus sacras super ipsos imponi. Cum infans nascitur, ad Sacramentum Baptismi suscipiendum à patre, vel matre portatur, & quando moritur ad Fratres concurrunt ut sepeliatur. Cum virescit uxorem non Christianam, illam ad Baptismum ducit & mulier virum, ut disponentur ad modum Christianorum, & pater filium, mater filiam, frater fratrem, & vicinus vicinam. Quo circa quæ per me ipsum, & à fide dignis Religiosis

personis de fide, & moribus istorum acceperim, compendio dicam.

Rogatus quidam cur, extra tempus Quadragesimæ confiteri vellet? respondit: Se agritudine pressum spondidisse confessionem Deo, si evaderet, ideò voti reum confiteri debere.

Item alius, ad quid tam citò confessionem repeteret, à confessore rogatus, qui sciret, eum paulò ante alii confessum: respondit: Verum equidem esse; sed quòd confessorem eum non plenè intellexisse suspicaretur, repeteret se velle confessionem: insuper & postea nonnullorum recordatum fuisse peccatorum, quæ fassus antea non fuisset.

Petrus quidam, & Jacobus Neophiti ex primoribus eorum, post confessionem Sacramentalem, imaginaria visione, duas videre videbantur vias: olivam alteram, alteram adoramentorum, atque rosarum refectam: contemplatosque Magdalenam & Catherinam; quarum simulacra ex pictura didicerant, foetida dicentes, quam antea tenebatis, via est: rosarum spiramine odorata, quam sequimini post Baptismum. Quod in conspectu decem millium animarum animoso & ferventi sermone referentibus, multi Baptismum petierunt.

Qua nocte Salvator noster, secundum Ecclesiæ representationem, natus est: Gloria in excelsis Deo à cantantibus lingua sua auditum est à pluribus. Cum tamen hymnus iste tunc in eorum linguam conversus non esset, ut post: unde arguitur, non humana industria, sed divina virtute miraculum accidisse.

Anhelanti cuidam violentia comprimere puelam, ait illa: Numquid non Christianus es tu? Cui respondenti, sum: hoc quod agis (addidit illa) Christiana pietas prohibet. Quo auditò, ille ab incepto protinus resiliit.

In quadragesima admonitus pro Religione haberi jejunium, cum agritudine laboraret, nullo modo persuaderi potuit à Christianis, ut carnibus vesceretur.

In confessione se accusavit eorum quidam, quòd cum propriam cognosceret uxorem, alterius, cujus ardebat desiderio, recordatione fuerit voluptuose allectus.

Rogatus fuit à quodam religiosus quispiam utrum orare deberet in sacris miseriis, an cessare, atque attentius Verba Divina auscultare?

Alius similiter auditò, quòd Judas inconfessus, & impenitens laqueo vitam finiverit, ait confessori: Ego sum Judas, qui etsi confessus fuerim, non integrè tamen, ideò confessionem repetendam putavi.

Duo alii ex rubore peccatum pessimum in confessione occultantes, ob nimiam agritudinem pressi, fassi Sacramentaliter crimen, compunctionis, & lacrymarum imbre perfusi, utroque morbo absoluti sunt.

Christiana eorum, maritum Gentilem sortita, rogat, num Baptismum acceperit? illo abnuente; debitum, imò indebitum maritale negat, quousque lavacro sancto perfusum viderit.

Plures confessi ex eis non absoluti, vel quia in fornicatione erant, vel quia restitutionem procrastinarent, quantocius adimpleto confessoris præ-

præsripto recurrunt, & se representant pro absolutione, quòd, meâ opinione, fidei non exiguum argumentum est.

Si confessio eisdem ex occupatione confessoris, aliave causa denegatur, dolent, flent, gemituque ostendunt Sacramenti famem, sitimque justitiam.

Plusculi post Baptismum petunt baptizari quibus, cum Christiana religione id non licere, dicatur, respondent: Scimus id quidem, sed tunc non credidimus, aut verba baptizatoris non intelleximus.

Martinus vocabatur, qui in extremis paulò antequam decederet, assistenti matri ait: Sede parens, nonne vides fratres advenire cum Cruce, & Dominam quandam per magnificam lineam mihi Rosarii offerentem.

Cum in Thecoacam agerent Christiani in hospitio primum, essentque aliò profecti, ait quidam ejus oppidi indigena sociis: Nunc maxime Christiana religione fratres vivendum est, cum soli simus, & testes Fidei nostræ Christianos non habeamus.

Sed dices, nullo teste res gesta probatur, quasi & testes ipsi mentiri non possint. Rursum in iudicio humano res est nullius ponderis, aut momenti. Quasi verò super hoc humanum iudicium requiramus, & non Divinum potius admireremur, quo velit Omnipotens in novo nascentis Ecclesiæ cespitè, fructum promittere, ac miracula suscitare, quæ apud Sanctos, quos ab antiquo veneratur Ecclesia, penitus florere. Suffragatur tamen huic nationi, maxime hic mos duplici de causa: tenuitate victus, vilitate, & simplicitate vestitus, humilitas & obedientia genti innata, quibus nullæ regiones mundi abundant sicut ista.

Quia explicuisse videor, & Beatissime Pater, quæ mea dicere, quæque tua audire intererat, super emporio Indico, id est, earum commercio rerum, quæ Creator & Plasmator omnium suâ providentiâ præparaverat in termino jam labentis seculi, in quo fines sæculorum devenerunt, reliquum est contestari Sanctitatem tuam, Paule Beatissime, Doctore Gentium ne tantam naturam occasionem, segnitiei, aut torpori locum des, quominus id agas ut omnes nos commonefacias, exhorteris, excites, atque promoveas, ne in tam excelsi Opificis opere dormire, sed vigilare, & non segnitè agere studeamus. Hoc tibi ipsi imprimis persuadeas, Sanctissime Pater, velim, ex quo Evangelii veritas in mundum effulgere cœpit, id est, nostra felicitas declarari, quoque Dei in filios per gratiam liberationis adoptati sumus, post promulgatam per Apostolos duces, ac præceptores nostros salutis viam, nihil unquam pensi majores (quod sciam ego) in Ecclesia exstitisse Catholica, quam hæc apud Indos talentorum dispensatio. Si enim pro caducis fragilibus hujus miseræ vitæ rebus tantopere laboramus, quanto magis niti debemus universi, te duce, Paule Beatissime Pater, ne oblatam in præsentiarum opportunitissimam benè gerendæ rei facultatem desidiam, ac negligentiam nostram perdamus? Videant universi in Apostolico pectore nihil gratius insidere, quam huic tanto negotio vi omni, & nisu, nutu, voce, voto, te velle fideles

tuos excubare, adesse, vigilare. Qua parte nobis Verbi ostium (ut ait Apostolus) apertum est, illuc plurimos operarios destinare, quò in fecundo hujus Indiæ cespitè centeno consurgat spica fructu, quæ divitem spem alat, charitatem augeat, fidem sustentet. Tanto idololatrias alacriori animo & ampliori ardore certemus ad nostræ professionis vexilla colligere in Asia, quanto Turcarum in Europa sævitiam in nostros amplius cernimus debacchari. Hinc aurum eruamus ex visceribus fidei Indorum, istud aurum mittamus in subsidium militum nostrorum, longè ampliores ab India terminos à diabolo arripiamus, quam ipse cum Mahumentanis suis nobis subducat ex Europa. Duplici dæmonum muros ariete quatiamus, ut hinc ab eorum possessione antiqua indigenas eruamus, & insincè auro eruto, eosdem ab Europæ finibus excludamus. Promoveantur, Rex Christe bone, fidelium tuorum termini, & Isaiæ vaticinium impleatur jam. Ecce isti de longè venient; ecce illi ab Aquilone, & mari: & isti de terra Australi. Laudate cœli, & exulta terra, jubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum: & pauperum suorum miserabitur. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Et infra: Leva in circuitu oculos tuos, & vide, isti congregati sunt venerunt tibi. Ego vivo (dixit Dominus) quia omnibus his velut ornameto vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa: quia deserta tua, & solitudines tue, & terra ruinata nunc angusta erunt pro habitatoribus, & longè fugabuntur, qui absorbebant te. Si tanta diligentia & Dominus Jesus Christus, Deus ac liberator noster, Thomam Indos adite persuadet renitentem, ac dicentem: quocumque mitte me, præter quam ad Indos: & Bartholomæum, qui ibidem dæmones mirabiliter rorsit, Indosque ad Fidem convertit, eorum divitias respuit, ac Fidei Evangelicæ potiores auro fodinas, quas sequerentur, ostendit: & te, Sanctissime Pater Imperatorem tuum Deum imitari, amulari, comitari convenit, cum illum milites suos Apostolos in Indos destinantes ac penè urgentem videas. Sed dices, Non credent Idololatras Christo, non parebunt Evangelio. Crediderunt (inquit in gestis Apostolicis Lucas) prædicante Paulo, quotquot prædestinati erant à Deo ad vitam æternam.

Nullus certè non credit ex prædestinatis. Quàm verò libenter Fidem suscipiant, prædicatores revereantur, & audiant, Ecclesias ædificent, religiosi subdantur Indi istius Novæ Hispaniæ, testes sumus omnes, qui inter istos versati sumus: de valde autem distantibus ab hujus provinciæ terminis, à venerabili Patre Fratre Bernardino de Minaya, nunc Priore sancti Dominici hujus civitatis Tenaxtilan, seu Mexico, verum habemus testimonium, qui cum duobus sociis religiosi usque in Provinciam de Nicaragua, viam trecentum leucarum, & amplius peragravit, idololatrias docendo, idola confringendo, & comburendo, vexilla Regis Christi erigendo, & Ecclesias fundando. Ad quæ omnia libentissimos, & promptos Indos (qui nunquam viderant Religiosos prædicantes eis) invenit: Baptismum spontaneè petentes, cum lau-

reolis roseis, elbo & potu ei obviante, viasque ampliante, atque tergentes, & suo modo cum gratiarum actione dicentes. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Stabilem quippe Comitem (quem Reges seculi appellant) te stupens caelestis Rex constituit, ut circa stationem tuam pervigilii semper insistas, huc tam, & illuc, ubi major necessitas poscat, transmittendos milites, ac comites tuos, vestimenta quoque & alimenta gregariis tuis distribuere debeas, ne si stipendorum inopia, equitum peditumque penuria res militaris segnius agatur, minusque procedat, Imperatori culpa adscribatur, id te agente, ut confidimus coronam (sicut par est) reportaturo beatam.

HAenus epistola Episcopi Tlaxcalensis cujus & aliorum auctoritas, & fida relatio ejusdem Romani Pontificis Pauli III. piam sollicitudinem excitavit, ut peculiari diplomate Indorum capacitatem, & libertatem assereret. Divinique, & humani juris non secus ac nos, & reliquas Europae sive antiqui Orbis nationes participes esse definire. Idemque Pissimus, & Catholiciss. Imper. Carolus V. pluribus legibus, edictis, & schedulis declaravit, contraria abrogans, quae illorum servitutem, aut vexationem quovis modo permittere videbantur, ut constat ex his, quae scribunt Hieron. Benzo in *histor. Amer. l. 1. c. 17. & seq. Ant. de Herrera in histor. gener. Ind. decad. 1. pag. 323. & 367. & decad. 2. pag. 7. 19. 91. 118. & 144. & decad. 3. pag. 312. & decad. 4. pag. 299. & 270. & seq. & alibi passim, & Fr. Joann. à Torquem. in *Monarch. Ind. l. 1. c. 14. & l. 17. c. 19. & Nos infra l. 3. c. 5. & 6. diligentius trademus. Pauliana autem sanctionis verba quoniam gravissima sunt & tractationi, de qua agimus maxime conducentia in lectorem quoque gratiam hic inserere libet quae sic habent.**

78 Paulus Papa III. universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem, & infra: Veritas ipsa, quae non falli, nec fallere potest, cum Praedicatores fidei officio praedicationis destinaret, dixisse dignoscitur; euntes docete omnes gentes. Omnes dixit, absque omni delectu, cum omnes Fidei disciplinae capaces existant. Quod videns, & invidens ipsius humani generis amulus, qui bonis operibus, ut pereant semper adversatur, modum excogitavit haec inauditum, quo impediret, ne Verbum Dei gentibus, ut salva fierent, predicaretur; ac quosdam suos satellites commovit; qui suam cupidinem adimplere cupientes, Occidentales, & Meridionales Indos, & alias gentes, quae temporibus istis ad nostram notitiam pervenerunt, sub praetextu, quod fidei Catholicae expertes existant, uti bruta animalia ad nostra obsequia redigendos esse, passim asserere praesumant, & eos in servitutem redigunt, tantis afflictionibus illos urgentes quantis vix bruta animalia illis servientia urgeant. Nos igitur, qui ejusdem Domini nostri vices licet indigni, gerimus in terris & oves gregis sui nobis commissas, quae extra ejus ovile sunt, ad ipsum ovile toto nisu exquirimus: attendentes, Indos ipsos, utpote veros homines, non solum Christianae Fidei capaces existere, sed, ut Nobis immo-

tuit, ad Fidem ipsam promptissimè currere: ac volentes super his congruis remediis providere, praedictos Indos, & omnes alias gentes ad notitiam Christianorum in posterum deveniunt, licet extra Fidem Christianam existant, sua libertate, ac rerum suarum dominio hujusmodi uti, & potiri, & gaudere libere, & licite posse, nec in servitutem redigi debere: ac quicquid secus fieri contigerit, tritum & inane: ipsosque Indos, & alias gentes Verbi Dei praedicatione, & exemplo bonae vitae ad d. Fidem Christi invitandos fore auctoritate Apostolica per praesentes literas decernimus; & declaramus, non obstantibus praemissis, ceterisque contrariis quibuscumque. Dat. Rom. ann. 1537. quarto Nonas Junii, Pontificatus nostri anno tertio. Cujus decreti executio commissa fuit Illustriss. Cardin. Taverae, ut videbis infra lib. 3. c. 8. n. 54.

Quarto facit, qui etsi concedamus, omnes 80 omnino Indos obtuso, hebeti, aut fero ingenio praeditos esse, cum tamen veri homines sint, valde absurdum, imò & impium judicari debuit, & semper debebit eorum judicium, qui illos à Fidei Catholicae participio, & sanctae Apostolicae Ecclesiae consortio excludere voluerunt, cujus janua omnibus pariter aperta est, ut Episcopus Tlaxcalensis, & Paulus III. merito declarant in epistolis supra relatis. Etenim cum Prophetae, omnes 81 insulas gentium, & qui in extremis terrae habitant, Dominum adoratos, eique laudem cantatos & dona adducturos praedixerint, ut apparet ex Sophon. c. ult. & Isai, cap. 42. & 64. & alibi passim, arbitrari non oportet, ut contemptos, ac sempiternae oblivioni datos hos Indos apud pium Conditorum, & benignissimum Redemptorem, cum sit unus omnium hominum Pater, ut cum Lucretio rectè tradit Lactan. Firmian. lib. 6. *Divin. inst. cap. 10. & eodem sanguine, quo Graeci, & Romani, isti Indi, quantumvis barbari, redempti fuerint.*

Qua propter ipsos Christi Apostolus scimus 82 ad remotissimas quasque, & ferocissimas nationes Evangelii seminandi gratia penetrasse, neque earum belluinis moribus deterritos, neque sensu, stupore pertasos; crediti talenti debitores Graecis pariter ac Barbaris, sapientibus atque insipientibus agnoscentes, ut scribit D. Paul. Rom. 1. & optimè prosequuntur Acosta d. lib. 1. de procur. Ind. sal. c. 1. & sequentibus. Thom. à Jesu de procur. omn. gent. sal. lib. 1. c. 11. pag. 37. & 38. & lib. 4. p. 1. c. 1. & lib. 11. in praefat. pag. 759. & Thom. Bocius lib. 8. de sign. Eccl. c. 4. & lib. 10. cap. 13. ubi late agit de efferatis gentibus ad humanitatem, & Religionem disciplina Christiana perducis, & novissimè post haec scripta P. Suarez in tract. de Fide, disput. 6. & sect. 4. n. 9. ubi indubitanter asserit, omnes viatores per se Fidei esse capaces.

Quibus addere licet D. August. qui *serm. 37. 84 ad Praeres in Erem.* tradit, se ad monstra sine capite, & oculos in pectore habentia, serendū Evangelii causam profectum, cum nosset eos Gentilitatis errore implicitos, & ratione alicujus tametsi falsae Religionis, duci. Quod etiam refert Bapt. Fulgos. lib. 1. *memorab. cap. 6. de miraculis, fol. 53. & novissimus Alfons. Carranza in Disp. de partu humano c. 17. n. 80. ubi ejusmodi ho-*

homines *lemnios* appellari tradit, de quibus Agell. lib. 9. cap. 4. & D. Isidor. lib. 11. *Etymol. cap. 3.*

85 Et similiter praedictae ruditatis & hebetudinis Indorum causa sufficiens judicari non debuit ad eos debellandos, affligendos, onerandos, & spoliandos, cum potius ob eandem rationem illis ut hebetioribus magis miserendum, quam irascendum fuerit, magisque consulendum & subveniendum, quam persequendum. Constat quippe stolidi hominum ingenia miseris, arumnis, & adversis, ac calamitosi rebus stolidiora fieri, ut Ovid. in *epist. Sapho.* his verbis ostendit:

Nunc vellem facunda forem, dolor artibus obstat. Ingeniumque meis tradidit omne malis.

Et certum etiam est, ejusmodi hebetudinem 87 rusticitatem, aut feritatem Indorum non tam ex natalium, stirpive, aut aëris nativi causis descendere, quam ex prava, & diuturna educatione, & vitae agrestis consuetudine, austeritate, doctrinaeque defectu, & ex nuditate, & ciborum crassitie, atque intemperie, qua ut plurimum utebantur, ut in nostris rusticis, & agricolis Hispanis quotidie experimur, & generaliter de omnibus, qui rura, & agros inhabitant, tradit Arist. *señ. 30. probl. 1. Galen. in lib. de temper. capitis, & in lib. quod animi mores corporis temperamenta sequantur, latissimè Tiraquel. de nobilit. cap. 2. ex num. 57. & ultra relatus ab eo Oralora in eodem tract. p. 5. c. fin. num. 20. Doct. Huarte in tract. de examine ingeniorum, cap. 4. & in specie de Indis nostris loquens Joseph. Acosta d. lib. 1. de procur. Ind. sal. c. 8. Fr. Joan. Bapt. in *disc. advertent. confess. 1. p. fol. 59. & Fr. Greg. García de Indor. orig. lib. 3. c. 4. §. 2.**

Quibus hebetudinis Indorum causis, addi 89 etiam potest idololatriae caecitas, cui maxime dediti erant, qua interveniente, homines hebetari D. Paulus ostendit, 1. *Corint. 2. & 3.* D. Greg. lib. 12. *Moral.* qui habetur in c. *Salom. 32. q. 4.* & veluti lapides fieri Clemens Alexand. in *Orat. hort. ad Gent.* ubi sic eleganter scribit: *Testis nobis accedat vox Propheticae veritatis concinens: potens est enim Deus ex lapidibus suscitare filios Abrahae. Qui miseratus multam nescitiam, & cordis duritiam eorum, qui lapidaverunt adversus veritatem, excitavit semen pietatis in Deum, virtutem sentiens ex lapidibus illis, nempe Gentibus, quae crediderunt lapidibus, & de nostris Indis in specie loquens Fr. August. Davila lib. 1. *hist. Mexic. cap. 81. pag. 323.**

Quae omnia non ferro, ac flagris, non ser- 90 vitute, & spolis puniendi fuerunt, sed doctrina, mansuetudine, morumque nostrorum exemplo sanaviter medicanda: cum re verà nulla sit tam 91 Barbara natio, nulla tam stupida, quae, si aliqua temporis interapedine accuratè, & generose educetur, & instruat, non deponat barbariem; in duarum humanitatem, & morum elegantiam, & ad tantam frugem perveniat, ut maximis ipsa natura ingenii comparari possit, ut videmus in rusticis ad scholas, aur curiam, vel celebres urbes traductis, qui mirae solertiae, & ingenii praestantis effici solent, & in Aethiopiis, & eorum liberis in palatibus nutritis, qui adeo ingenio prompti, &

ad quidvis parati frequenter evadunt ut si colorem detrahas, ex nostris putari possint, sicuti observat D. Chrysost. hom. 4. *epist. ad Titum Acost. d. c. 8. Sim. Majol. in dieb. Canicul. 1. t. colloq. 19. p. 439. & 4. t. colloq. 3. de hominum Educatione per totum, & exemplo canum, quos Lycurgus educavit, probat Plutarch. in ejus vita, Coel. Rhodig. lib. 20. *lect. antiq. c. 28. & alia tradens Tiraquel. in lege 7. connub. Annaeus Robert. lib. 1. rer. judic. c. 9. Castell. de Bobadill. in Polit. lib. 2. cap. 13. ex n. 62. & P. Joan. Pineda de reb. gest. Salomon. lib. 1. c. 19.**

Atque huic nimirum doctrinae, & politici defectui, & agrestis vitae consuetudini adscribenda sunt, quae *supr. cap. proximo ex n. 27.* pro Indorum barbarie exaggeranda consideravimus. Neque enim mirum fuit, quòd primis adspicibus 92 Hispanorum navigia, equos, bombardas, & literas mirarentur, ac formidarent, & Hispanos ipsos, his & aliis utentes, de caelo existimarent: cum haec omnia verè in se admiranda essent, & ab Indis numquam visa, nec cogitata. Nam communiter accidit, ut nova quaeque etsi pusilla sint, 93 admirationem incutiant, & ut ea, quae repente, & ex inopinato videntur, tamquam de caelo missa credamus, ut scriptum relinquit Senec. *lib. 7. nat. quest. in princip.* sic inquit: *Nam quamdiu solita decurrant, magnitudinem rerum consuetudo subducit. Ita enim compositi sumus, ut nos quotidiana, etiam si admiratione digna sint, transcant: contra minimarum quoque rerum, si insolite prodierunt, spectaculum dulce fiat. Adeo naturalis est, 94 magis nova quam magna mirari, & Tertul. in Apol. cap. 10. Ex consuetudine humana ignoti, vel ex inopinato apparentes de caelo supervenisse dicuntur: proinde Saturno repentino adventu ubique Caesitem contingit dici.*

Mirandum etiam non fuit, quòd omnes Occidentales Indi literarum usu carerent, nam idem Orientalibus, & aliis nationibus commune fuit, ut tradit Alex. ab Alex. *lib. 2. Genial. cap. 30.* qui res gestas, & memoratu dignas Pythagorico more memoria tenere, illasque à parentibus traditas per manus posteris dedere, qui tamen haud post in syndonibus scribere inceperunt, totasque paginas monumentis rerum gestarum impleverunt.

Quod de Phoenicibus tradit etiam Lucanus, & in Mexicanis nostris experti fuimus; qui si 96 non literis, imaginibus tamen, & figuris ea omnia, quae sibi memoranda videbantur, significabant, & conservabant. Et in Peruanis, qui mi- 97 rabili modo chordis versicoloribus, multisque nodis insignitis, & artificio singulari contextis, quarum domus sunt perpena, multorum seculorum res gestas solerter involvunt, & ubi opus est sine ulla haesitatione explicant, & declarant, ut cum Joan. Metell. & Petr. Zieza refert Theatr. vitæ hum. *volum. 6. lib. 2. pag. 1593. & volum. 5. lib. 3. pag. 1275. Joseph Acost. lib. 1. histor. Ind. cap. 24. & lib. 6. c. 2. & sequentibus. Garcil. Inca de Incarum histor. lib. 2. capit. 22. & 23. lib. 6. capit. 8. & alii, quos citavimus sup. lib. 1. cap. 19. num. 31.*

Idemque in Arithmetica contegebatur, quam suo more, ac modo, certis lapillis adhibitis, peritissime callent, ut testatur Acost. *disc. lib. 6. c. 8. Et*

tum Orbem sibi subicere, his & aliis coloribus, ac mentitis rationibus conabatur; quas tamen meram potius tyrannidem, rapinam, & violentiam appellare possemus, sicuti facit D. August. lib. 4. de Civit. Dei, c. 6. & diximus supr. c. 6. num. 56. & seqq.

125 Sexto, pro eadem opinione facit, & ei contrarium non esse, quod similiter in cap. preced. ex num. 66. cum Plutarco, D. August. Thoma, & aliis de Alexandri Magni, & Romanorum laudibus diximus, dum ob id eorum imperium extollere & legitimum, ac voluntate Dei quassatum docere videntur, quod feras, & barbaras nationes bellis domerint, & optimis legibus ac moribus cultas, & mansuetas redderint. Etenim si attentè istorum Auctorum verba considerentur, proculdubio constabit, longè aliam mentem habuisse, & id tantum in illis commendasse, quod subjectorum disciplinæ, & rectæ institutioni, ac gubernationi solum operam dabant, & præclaris monitis, atque institutis ad politicam vivendi formam reducere conabantur, ut bene ultra alios observat Joseph. Acosta. dict. c. 5. sic enim August. scribit d. lib. 5. de Civit. Dei, c. 17. An verò aliquid nocuerunt Romani gentibus quibus subjugatis imposuerunt leges suas, nisi quia id factum est ingenti strage bellorum, quod si concorditer fieret, id ipsum fieret meliore successu: sed nulla esset gloria triumphantium.

Bella igitur, & bellorum strages, ac damna, injurias, & spolia innoxis nationibus quantumvis barbaris irrogata, non laudat, nec probat August. prout verè laudare, imò vel excusare non poterat, cum fuerint iuri, & naturali rationi contraria, & non patitur alterum cum alterius iactura locupletari, vel in alio facere, quod nobis ipsis fieri nollemus, l. 1. §. juris præcepta, ff. de just. & jur. l. 1. ff. quod quisque juris, l. nam hoc natura, ff. de condic. indeb. cum aliis, quæ adducit Rebuff. in l. unica, C. de sentent. quæ pro eo quod interest, num. 130. & eruditissim. Petr. Fab. in l. jure natura 206. ff. de regul. jur. ubi illud Cicer. ad legat. lib. 3. offic. Detrahere aliquid alteri, & homin. in hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ possunt, aut corpori accidere, aut rebus externis.

Cui conveniunt similia verba Lactant. in epist. Divin. instit. c. 4. & Casiodor. lib. 9. var. epist. 3. Et addi potest illa altera, satisque efficax ratio, quod non sunt faciendæ mala, quamvis inde bona evenire possent, de qua in c. fortè 24. quest. 5. cap. sic non sunt 32. quest. 4. c. ult. 32. quest. 8. cap. super eo de usuris, c. 3. ne clericis, vel monach. cum aliis, quæ tradit Claud. Pratus Grogener. Jur. lib. 5. tit. 1. cap. 3. pag. 282. & latè Dom. Regens Valenzuela in monit. contra Venctos, 5. part. num. 200. & seqq. Atque etiam quod bellorum strepitus, & damna, quæ ex illis contingere solent, non videntur aptum medium illi præstari posse, qui agrestes homines, & incultos meliores, & politiores effecere volunt, & ad justitiæ cognitionem & observationem suadere, juxta ea, quæ diximus supr. hoc cap. num. 85. & de bellorum damnis alio in loco dicemus, & in nostris terminis observat

Acosta dict. lib. 2. cap. 4. & 5. & Menchaca d. cap. 10. n. 6. & seq.

Arque ita & de ipsis Romanorum bellis aptè quidam scripsit.

Non jus arma dedit, potius jus arma dedere.

Et quod per vim sedes alienas occuparunt, & Orbis imperium assæquuti sunt, apertè concludit Innocent. in cap. quod super his de voto, Bald. & Alber. in l. 1. num. 20. C. de summa Trinit. Joan. Fab. in §. sed quod Principi, inst. de jur. natur. Angel. in l. deprecatio, ff. ad leg. Rhod. de jactu, & alii relati à Castaldo in tract. de Imp. quest. 4. num. 3. & Cevall. tract. de violentiis, gloss. 18. num. 130. & sequent.

CAPUT IX.

De superioris questionis resolutione, & Indorum in tres classes distributione: & quantum oporteat, quod rudes, & insipientes a prudentioribus, & sapientioribus gubernentur.

SUMMARIUM.

- 1 Indi nullo modo belluarum numero haberi debent.
- 2 Indi nulli in Novo Orbe reperti sunt, qui omnino lumine rationis careant, aut monstruosas formas habeant.
- 3 Indi etiam illi, qui magis politici reperti sunt, nostrorum comparatione eo tempore barbari appellari poterunt.
- 4 Indi alii ab aliis in plurimis, & plurimum differunt. Homo homini præstat.
- 5 Arabum quidam nimis barbari, alii nimis sapientes & politici sunt.
- 6 Lex inter artifices 31. ff. de solution. exornatur.
- 7 Indi Occidentales ad tres classes optimè, ubi de eorum capacitate agitur, rediguntur à Joseph. Acosta, & aliis.
- 8 Indi primæ classis censeri possunt Sinenses, Japonii, & alii Orientales.
- 9 Indi secundæ classis vocari possunt Mexicani, Peruviani, & alii ex provinciis Novæ Hispaniæ.
- 10 Indi tertiæ classis illi vocantur, qui sylvestrem, & omnino feram, ac barbaram vitam agebant, quorum plures nationes recensentur.
- 11 Indos, qui omnino barbaros, & brutis similes affirmabant, de quibus intelligendi sunt.
- 12 Indi primæ classis, prætextu sui barbarismi licitè debellari non possent.
- 13 Senescentes putant, se cæteris mortalibus prudentia, sapientia, & artium subtilitate antecellere.
- 14 Sinensis cujusdam Doctores dictum.
- 15 Indi secundæ classis ob solam barbariam non possunt debellari, & spoliari.
- 16 Reges nostri nunquam permiserunt, Indos secundæ classis debellari, vel servos fieri.
- 17 Indorum Mexicanorum, Peruanorum, & aliorum similitudinem capacitas, & conditio magnum fructum in Fide Catholica, & politiciis moribus, si bene instituantur, promittit.
- 18 Indorum secundæ classis barbaries, & status exegit, ut plantata inter eos Fide Reges nostri supremam eorum gubernationem acciperent.
- 19 Auctorum nomina, & verba recensentur, qui Indos secundæ classis semel ad Fidem conversis Regum Catholicorum supremam saltem dominationem concedunt.
- 20 Dominatio suprema Reg. Cathol. respectu Indorum, qui noviter ad Fidem Catholicam conversi sunt, qualiter esse debeat.
- 21 Prælatio quæ inducitur ob utilitatem subditorum magis

- 22 Indos omnino barbaros, & efferrati justè coerceri, & imperio privari possunt.
- 23 Furiis & amentis non solum suarum rerum administratione privari, verùm & puniri, & in vinculis contineri possunt.
- 24 Humanum genus imperiis regi debet.
- 25 Regibus qui non parent, nec politicè vivunt, sordidè esse censentur, & Bellial in sacris Literis appellantur.
- 26 Gubernator ubi non est, populus corrumpitur.
- 27 Proverb. locus cap. 26. exponitur cum D. Ambrosio.
- 28 Insipientis & ebrii comparatio, & quod illis servitus convenit, & libertas recidenda est.
- 29 Liberum aliquem relinqui ad malefaciendum, potius est imperfectio, quam libertas.
- 30 Reges nostri non solum potuerunt, sed omnino debuerunt barbarorum à se detestorum, & conversorum gubernationem accipere.
- 31 Caritas, quæ erga proximos haberi jubetur, etiam Judæis & infidelibus impendenda est.
- 32 Caritas nulla major Indis barbaris impendi potuit, quàm illos ad bonos mores, & Fidem convertere, & Christianis rectoribus gubernare.
- 33 Reges Hispaniæ Indos omnes etiam impensè barbaros summa caritate prosequuti sunt, & liberos esse jusserunt.
- 34 Indi omnino barbari, & proficua esse debet cum D. Thom. & August.
- 35 Aristotelis sententia de barbaris natura servis, quod pacto in Indis secundæ classis prædicari debeat.
- 36 Indis tertiæ classis, hoc est, omnino barbaris, & sylvestribus omnimoda coactio, jurisdictio, & gubernatio Regibus Catholicis competit.
- 37 Sententia Aristot. circa Indos secundæ classis.
- 38 Auctorum sententia recensentur, & expenduntur, qui Indos omnino barbaros, & feros debellari, & suis imperiis spoliari posse concedunt.
- 39 Inferior ratio debet servire fortiori.
- 40 Ratione qui excellunt, dominatione excellere debent, & num. 35.
- 41 Plato sex causas dominandi alii, elegantè constituit, & inter eas, ignorantium subjectionem respectu prudentiorum.
- 42 Indorum, & Hispanorum Respublica ubi juncta esse capit, eorum gubernatio multo de causis Regibus Hispanis concedi debuit, & num. 42.
- 43 Stulti non debent esse melioris conditionis, quam sapientes.
- 44 Regum eligendorum inter varias formas illa usitator fuit, ut ex prudentioribus eligeretur.
- 45 Magis olim vocabantur Reges, id est sapientes, & quare.
- 46 Ezechiel. locus cap. 27. illustratur.
- 47 Ad sapientes pertinet gubernatio.
- 48 Doctrina Moralitatis vocatur in l. 13. tit. 2. lib. 7. ordinam. sapientiorum gubernatio, & nominatio.
- 49 Plato dicebat, tunc Respublicas beatas esse futuras, quàm à sapientioribus regerentur.
- 50 Diomedes cur sibi Ulysses in socium, apud Homerum deposcat.
- 51 Tutela, & cura cur à jure inventa sit.
- 52 Regna qua de causa introducta fuerint.
- 53 Oppidis ab ope mutua nomen indium fuit.
- 54 Pro Indorum utilitate eorum administratio permittenda.
- 55 Mentis infirmitas semper in jure sublevarur.
- 56 Mentis humane totius animi regnum à natura tributur.
- 57 Mentis languor damnus in bonis solet afferre.
- 58 Amentibus quæcumque pietatis opera conferenda sunt.
- 59 Pupillarum, furiosorum, minorum, aut prodigorum tutelam, vel curam suscipere, inter præcipua opera caritatis connumeratur.
- 60 Rex & personæ minorum, & furiosorum multis periculis, & captivonibus exposita sunt.
- 61 Tutela est munus publicum, & de tutorum potestate, & dominatione.
- 62 Parvuli & furiosi nihil à servis differre videntur, juxta sententiam D. Pauli.
- 63 Furiis ex l. 12. tab. administratione, & veluti dominio rerum suarum privabantur.
- 64 Proverbium, Ad agnatos deducantur, unde originem sumpserit.
- 65 Homines barbari & ignorantes semper pueri sunt, & ut tales tractandi.
- 66 Ecclesiastes locus cap. 10. Væ tibi terra, cujus Rex puer est, explicatur.
- 67 Reges Catholici obligati erant ad recipiendam gubernationem Indorum.
- 68 Apostolici muneris ratio, jus quoque regendi, & gubernandi animas, complecti videtur.
- 69 Regibus Indorum gubernatio relinqui non potuit cum eisdem viris, quibus Indi cæteri laborarent.
- 70 Regni aut Imperii hereditarii, vel alio modo questiti, gubernationi, si non sit aptus is, qui illud habere capit, qualiter prohiberi debeat.
- 71 Populus, qui habet facultatem magistratus sibi creandi, debet illa privari, si malè ea uti cæperit.
- 72 Rerum suarum domino abutens, ipso privari meretur.
- 73 Gubernare alios non debet, qui seipsum regere nescit.
- 74 Lex in questione, §. minores, C. de sent. passis, expenditur.
- 75 Rex insipiens perdat populum suum, & qualis ille, tales subditi ejus.

Dom. Licent. Joannes Ortiz de Cervantes Senator meritisimus in Cancelleria Novi Regni Granatensis laudatur, ibidem. Tom. I. de Indiar. jure.

Hæc planè sunt, quæ in superiori articulo ad utramque partem disputari posse videntur. In quo ego, ut meam tandem sententiam libero & Christiano, ut decet, judicio proponam: Primò quidem agnosco, & Indos omnes, qui hujus Occidui, & Meridionalis Orbis plagas incolere lucusque reperti sunt, nullo prorsus modo belluarum numero aggregari debere, ut contra imprudentem aliquorum opinionem, de qua egimus in cap. 7. defendunt cæteri auctores in cap. præcedenti relati, & egregia sua constitutione Paul. III. meritò definitivè. Etenim licet aliqui Indi aliis barbariores, & efferratores existant, nullos tamen invenimus, qui ad monstruosas illas formas declinent, de quibus agunt D. August. Isidor. & alii in eisdem capitibus allegati, vel qui aliqua-lem mentis, rationis, & sermionis usum non habeant. Atque quoad hoc absque dubio verior, & securior est eorum sententia, qui pro Indorum capacitate asserenda, & à brutalitatis specie vindicanda declamant.

Secundo, constituo, & quod etsi Indi belluæ non sint, neque belluarum more tractandi, verè tamen negari non potest, nostrorum & aliorum Europæorum comparatione Barbaros eos omnes vocari posse, quos Hispani, & Lusitanis suis classibus, & terrestribus expeditionibus invenierunt, utpotè non solum ab Evangelica luce alienos, verùm ab humanis quoque institutis in plurimum abhorrentes. Quamvis adhuc firma aliqua, & perpetua regula de illis tradi non possit, & cum eorum provinciæ, & nationes plurimæ sint, atque inter se diversos mores, & ordines habeant, & Indus ab Indo, Barbarus à Barbaro ingenio, natura, doctrina, & institutione longè, latèque differat, ut & alias generaliter de omnibus hominibus à Comico dicitur, & de Arabis à Bernard. Aldrete in antiq. Hispan. lib. 1. c. 41. & de artificibus ab Ulpiano in l. inter artifices 31. ff. de solution. & in nostris terminis bene observat Joseph. Acosta in proem. ad libr. de procur. Ind. salut. quem merito referunt, & cum laudis approbatione sequuntur Anton. Posevin. in Bibliot. 1. part. lib. 9. c. 15. & sequent. Joan. Boter. in relat. univers. 4. part. lib. 3. ex pag. 65. Bb 2 Fr.